



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

X. Beatam rei dicunt; qui in iudicio Dei succurrit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

clara nostræ orationes ad Deum, ita statim beneficia descendunt: idque etiam Iacob dormiente, & non cogitante se gratias percepturum. *S. Method. Martyr. audiatur orat. de Purif.* Sæpe quos Iustitia Filij potest damnare, Mater misericordiam liberat, invocatus namque ille, dum ad iustitiæ trutinam merita rogantium expendit, vel postulationibus non indulget, vel tardior, & lentior procedere consuevit: Deipara verò cum Regnum acceperit, quod totum in mansuetudine positum est, non tam frequenter expendit, quid mereantur qui rogant, quam quæ suam deceat benignitatem, quare velox & festina est in audiendis afflictis.

Similibus hoc ipsum explicat *Gerfon. tract. 4. super Magnificat.* Magnificat est hodie Virgo Beata, ut Regina cœli, imò & mundi jure vocetur, habens præminentiam, & virtutem influxivam super omnes. Principatum habet dimidi Regni Dei, si sic dici potest, sub typo Esther, & Assver: Regnum quippe Dei consistit in potestate, & misericordia. *Semel est locutus Deus, duo hæc audi vi, quia potestas Dei est, & tua Domine misericordia.* Potestate Domino remanente, cessit quodammodo misericordiam parti Matri Christi, Sponsæque regnanti: quemadmodum enim homines non nisi parcè & minutatim distribuunt illa, quæ per agones, & laborem consecuti sunt, ita hominum Salvator suo nomine invocatus, in dispensandis gratijs, & cautior, & cunctatior invenitur: contra verò illi liberales, & profusi in ijs communicandis, quæ absque sudore & periculo comparantur: sic B. Virgo Maria Redemptionis pretium, quod atque perceptis in ligno vuneribus accepit, facilius suo nomine communicat, ac dispensat.

ro. Beatam rei dicunt; quia in iudicio Dei succurrit.

Id sibi ab illa *Ecclesia Græca in Menais 1. Martij* promittit, cum orat. Extremum iudicium cogitans contremisco, admissorum à me scelerum memor, & infortunatus quomodo ego iudici respondebo, ut actiones meas excusem? verto oculos ad tuam imaginem flectens, accipio planè solatium, ô Domina ærumnarum mearum. Id orat *Damascenus ibid. 9. Martij.* Propter ultimi iudicij recollectionem timore perfundor: & ad horribile quod imminet examen contremisco, ancipitem quoque sententiam horreo, & supplicij magnitudinem pertimesco, tormentum scilicet ignis, inferorum tenebras, dentiumque stridorem, & conscientiam vermem semper insomnem, heu mihi! quid faciam? quando politæ fuerint throni, librique conscientiarum aperti, ac demique actiones hominum reprehenduntur? tunc scilicet auxilio mihi assiste ô Domina, meique patrocina

nium, quàm ferventissimum suscipe: in te enim spem omnem repositam habeo, quanquàm tuus sim inutilis servus. Narrat *Discipulus in prompt. miracul. Virg. num. 50.* de quodam Religioso vitæ malæ, qui unicum hoc habuit boni, quod centies quotidie Virginem salutare fuerit solitus. Hic in morbum incidit, & in eo per visum ad Judicem deductus: ubi in bilancem à dæmonibus relata hujus scelera, B. Virgo etiã atulit Salutationes sibi ab eo dictas, sed deficiebant adhuc pondere cum tot peccatis appensæ: jam ruebat causâ miser: conversa Virgo ad Filium, oravit guttam sanguinis sui adjiceret, quod & fecit: sic miser redditus salutis: vixit deinde, sed in meliùs mutatis moribus.

Suppar est huic quod narrat de Benedicta Florentina muliere B. *Alanus de rape in psalm. p. 5. cap. 60.* & jurat esse verum. Hæc atatem publicè libidini consecraverat. Tandem compuncta concione S. Dominici, ad eum venit, ut confiteretur: interrogavit Sanctus utrum vellet in eum reponi statum, qui esset expediens pro ejus salute. Annuit. Tum occupata à dæmonibus, post annum rursus confessa eidem Sancto, & liberata ab infessoribus spiritibus, redijt illa ad scelera: advolat Dominicus, increpat, exprobrat, & sic eam deducit in templum, & confiteri persuadet. Tum interrogavit utrum se vellet committere misericordiam B. Virginis? voluit illa: & statim à spiritibus malignis infessa, duravitq; hoc malum, solo eo tempore libero relicto, quo rosarium jussu Sancti orabat. Rapta tandem in extasi ad tribunal Dei: allatum grande scelerum illius volumen compar domunculæ cuiquam, coacta primum ejus folium legere, cœpit infernales querimonias emittere, corruere &c. Cui Judex: Surge, surge, fac quod dixi, & lege in tuo libro coram omnibus quæ fecisti, legere cœpit, sed non potuit præ confusione. Petebat misericordiam, sed Judex negabat, voluebatur, ejulabat. Miserti qui assiscebant Judici pro ea exorabant, sed nihil impetrabant. Tum unus eam monuit, ut ad Matrem Dei recurreret, fecit. Misertus Iudex orante Matre locum dedit pœnitentiæ, (vidit interim S. Dominicus hoc totum quod raptu agebatur) & deinde instructa à Virgine, quomodò vivendum esset, obedivit, & sanctè vitam peregit. Nimirum Virgo est Rubus Moysis *Exod. 3.* ut *Greg. His. in vita Moysis* asserit: Alibi Deus noster est ignis consumens, sed quando est in Tado, nè metue vel nudis pedibus accedere. Idem Moyses alio tempore in periculo ad Virginem accurrit, figuratam *num. 16.* Insurrexerat populus in Moysen, & Aaron, & jam ambo in discrimine, quo se receperunt ut evaderent? confugerunt ad Tabernaculum, quod erat teste *Richardo à S. Laur. lib. 10.* Imago Virginis, & postquam se receperunt in illud descendit Nubes, quam *Ambros. exhort. ad*

viduas,

viduas, Virginem Sacram intelligit. Homo velut putamen ovi abjectum vacuum subindè silitur: sed si rore impleatur, id est Sacra Virgine, ut loquitur *S. German. Constantinop. in encom.* sursum à Sole iustitiæ abripitur, hoc enim de ovo rore impleto soli exposito experti asserunt. Illud certè Virgo de se dicere potest *Oseæ 14. Ego Ros, & Israel germinabit.* Arbor notat Sacram Virginem, quæ nobis fructum vitæ protulit, confugere sub illam primi Parentes, & Deo in illorum crimen inquirente, mitiori pro merito pænâ multati. Prodit Sol iustitiæ ad iudicium, sed ejus fervorem temperat, dum illo *Apoc. 12. Sacra V. amittit.* Contraxerat debitum Israel apud Deum propter furtum Achan *Josue 7. abicit se Josue deprecabundus coram Arca Domini; gnarus scilicet coram arca debita aboleri.* Quæ juxta *S. Bernard. serm. de B. Virgine sanctam Deiparam* designabat.

ii. Beatam dicunt Virginem Religiosi; quia curam illorum specialem gerit.

Exemplis id atque Historijs confirmabimus. Ab *Ordine Carmelitano* tempore antiquissimo, placet exordiri. Tempore Honorij IV. cum de illius agere confirmando instituto, ajunt Virginem noctu apparuisse, quæ illum monuerit; ut illos homines benignè complecteretur & institutum approbaret.

Tempore Urbani II. cum *Religio Carthusianorum* adhuc nova à multis impugnaretur, ac præcipuè in Dioecesi Gratianopolitana, ubi exorta fuit, multum pateretur, constitit inter eos subito vir quidam, Petrum Apostolum crediderunt, qui etiam mox suo persunctus officio disparuit. Hic eis Dei nomine pollicitus, Virginem S. illos conservaturam eisq; futuram Advocatam, si preces in honorem ipsius quotidie persolverent.

*Robertus Cisterciensium Fundator* à Virgine multum amatus: nam adhuc prægnanti ejus Matri Virgo S. apparuit cum aureo annulo, eamque allocutus: Engardis, id nomen mulieri fuit, Filium quem geris hoc mihi annulo desponsasti volo. *Bernardus* auxit promovitque Religionem, quam carus ille Virgini, superfluum est dicere.

*Servitarum Ordo* ipso suo nomine servitium Virginis proficitur. Origo verò hujus Religiosi Status ita habuit. Sodalitas Virgini fuit sacra, hæc die Assumptæ cum laudes persolveret admonita cœlesti voce, ut sæculum relinqueret, atque tota ad cultum Dei atque Virginis se conferret, nomine Servorum retento. Post septennium verò eadem Virgo singulis eorum apparuit per quietem cum magno Angelo-